

I N S O L E M N I
Auspicatissima Inauguratione

Illustriſ. atque Excell. D. D.

PETRI GRIMANI EQ.

Et hactenus Designati

D. MARCI PROCURATORIS,

Quo die pergit ad Consilii Publici sedem
summam Dignitatem assumpturus,

Gloriosissimæ Illius octo priùs mensibus
habitæ Electionis

PANEGYRICA CELEBRATIO

P. D. NICOLAI PETRICELLI

Cler. Regul. Congreg. e Somasca.



VENETIIS, M. DCCXX.

Typis Antonii Bortoli.

S U P E R I O R U M P E R M I S S U.



PANEGYRICUS.



Lluxit tandem dies ille optatissimus Patriæ , a Te verò etiam impatienter expectatus, EQUES , ET PROCURATOR AMPLISSIME , quo & illa placeat sibi , quod merita tua , quæ omnem re-pendendi vicem supergressa vide-bantur , univerfi acclamationibus po-
buli remuneratam ex æquo se putet , & Tu illi gra-
ias , quas jamdudum cupis , coram , & propalam-
gas , quod omnem in remunerando Te modum ex-
cesserit . Venis ergo volaturus etiam , si liceret , ut
liu desiderato fungaris officio , aurea jandiu tua Sto-
a renidens , recenti verò , sed propria futura dein-
eps Purpura redimitus ; ornatior tamen , atque ex-
celso eo , qui magis tuus est , magnanimi non tam
piritu , quam vultu , quo virtutes omnes , quibus
iac ipsa insignia meritus es , planè præfessi . Lon-
gum , quod honoris non tam præstandi , quam ac-
cipiendi causa , præcedit agmen , lætitia exultat , quod
maximæ hujus Veneti seculi future gloriæ , ac felici-
tati interesse sibi , atque inservire contigerit : longior
verò , & spectabilior , qui ponè sequitur , Procerum

comitatus , gratulatur fibi , & mérito vertit ; quod in hac seculi gloria parienda partem etiam habuerit . Quacunque incedis , vides in oppletis undique viis conversa in Te omnium lumina , aliorum de visu tandem noscentium virtute , & fama super æthera notissimum , aliorum avidos Tui conspectu saturantium animos tua diuturniore absentia jejunos : voices etiam audis , quas ex illorum obtutibus , sed magis ex tua conscientia veraces credas , plaudentium Tibi viso , sibique quod videant , & hujus à grata Patria collati honoris non tam tuæ , quam publicæ felicitatis causa perennitatem ex animo comprehendantium . Gestit interim Patria suis videns , audiensque in benemerentissimum de se Civem præmiis ab universis civibus tam perspicue acclamari ; mox gaudis profusiùs , ubi rursus audiet jucundissimam illam vocem millies quidem è scriptis , ac beneficiis perceptam , sed per decem amplius annos nisi peregre non auditam , qua suavissimas illi gratias ages ; Teque , si locus dabitur , lubentissime etiam relatum longa facultatis , ac voluntatis tuæ experientia jam persuasæ polliceberis . Felicissimum , faustissimumque Patriæ , Tibique diem , & in fastorum æternitatem meritò abiturum , iniqua , neque illo satis digna memoria posteris transmittendum , si non lætioribus , quam quævis olim Romana ovatio , vocibus consignetur ! Sed enī hunc ego diem , quamvis pulcherrimum , lætissimum , ac memorabilissimum putem , illi tamen aliud antepono , à quo nimirum hujus ipsius pulchritudo , lætitia , & ea , quam meretur , perennitas profecta est . Jam intelligis , Eques Grimane , me illum significare diem , quo summa

Pa.

Patrum consensu Procurator absens', dumque adhuc
 in opere merebaris, es renunciatus. Et quidem ho-
 dierna die quidquid celebritatis, ac pompæ lœti , &
 mirabundi conspicimus , quid aliud est , quam quod
 merita tua pro dignitate , quantum fieri potest , at-
 tolli , & exornari videmus? Cum superiore illa die,
 quibusdam pene de Te quæstionibus habitis , tua ip-
 sa merita inspecta, examinata, & cognita fuerint, ac
 pro solidis tandem meritis , & qualia fama (verane
 usque ad id tempus , an falsa ?) prædicabantur ,
 etiam Veneta auctoritate haberi cœperint . Hodie ta-
 lis incedis , qualem Te Patriæ munificentia voluit ,
 & fecit : tum vero disceptatum est , an hac Patriæ
 munificentia dignus essem , & utrum talis fieri mere-
 ris . Nunc omnia tribuuntur felicitati tuæ , cui
 gratulamur : tunc omnia data sunt virtuti , cui que-
 nunc dantur , tunc sunt comperta deberi . Hodie
 denique tota plaudente Urbe felicitas tua triumphat :
 tunc Urbe tota judicante virtus tua merita visa est ,
 ut hunc acquireret tuæ felicitati triumphum . Ego
 vero ut triumphum specto avidius , in quo plus vi-
 deo jucunditatis , sed pluris facio victoriam , cuius
 est ipsum mereri triumphum : sic felicitatem tuam
 veneror plurimum , quam miror splendoris , & am-
 plitudinis plenam , sed virtutem tuam illi præfero , cuius
 unius merito effectum est , ut ipsam felicitatem asse-
 quereris . Itaque hoc , quantum fas est , prætermisso
 die placet illum , à cuius gloria hujus est tota lœti-
 tia profecta , quodam quasi jure postliminii revocare ,
 quo tuam hanc felicitatem tacite veneratus , de tua
 virtute dicendum suscipiam , Teque ad illud habitum
 iam de tuis meritis Patrum , Magnique Consilii ju-
 di.

diciūm reducām ex integrō. Quid enim inde dubitandum sit, quod hujus diei serenitatem obnubilet; cum ipso etiam illo die securi fuerimus, neque aliquid timeremus ab ipsa temeritate fortunæ, cui profecto sciebamus nihil esse juris, ubi Veneta Sapientia disceptat? Illud potius verendum est, nequid ego aggrediar magis viribus meis animosior, quam ut possim, aut debeam. Cum enim mihi difficillimum futurum esset de felicitate, re videlicet tua, verba facere: satin' mihi facultatis erit de meritis, ac virtutibus tuis, hoc est de Te ipso dicendi? Audebo tamen & hoc ipsum, quoniam semel id jam cœpi præsumere, ut de Te quoquo modo loqui possem; materiæ non tam gravitate, ac difficultate deterritus, quam copia, & splendore animatus. Quid enim? Exiguam sentio mihi vim esse dicendi? Juvabit me dicendarum mira rerum copia, quæ non sinet orationem sicciam esse, aut jejunam. Humilem timeo stylum, sublimique argumento minimè convenientem? At splendor, & magnificentia, qua Tu res gessisti, illarum etiam narrationem ornabit, impedietque quod minus quidquam humiliter, demissèque dicatur. Tu etiam utriusque ausi, qua soles humanitate, dicens: veniam dabis, qui & scias, quam impia tali in re, ac tempore mea taciturnitas esset, & operosissimum esse cuilibet Te laudare, quantavis sit modestia tua, negare non possis. Ergo electionem illam, qua D. Marci Procurator es renunciatus, primum raram, & inusitatam, deinde justam fuisse ostendam, eritque illius justificaz postremum hoc argumentum, quod omnibus non modò cunctorum Ordinum civibus, sed etiam exteris Gentibus grata, accepta, & summè pro-

probata fuerit . Sed exteris quidem Gentibus , quæ Te mirantur , & colunt , Eques , & Procurator Amplissime , minus fortasse hæc electio tua accepta fuerit , nisi satis perspecta sit illis magnitudo collatæ Tibi dignitatis . Ut enim tanti faciant , quanti par est , Venetos honores : quis tamen sciat , an hunc , quem Tibi mira etiam studiorum consensione delatum accipiunt , immensis , ut censem , meritis tuis existiment parem ? Inspererunt scilicet virtutes tuas per eos omnes annos , quibus Patria Te illis indulxit , easque ita miratæ sunt , ut crederent omni remuneratione majores . Sciant igitur Venetam munificentiam non minus insuperabilem esse , quam fortitudinem , utque a nullo victa est unquam utut generosissimo Principe , ita ne vinci quidem posse à civibus suis . Sciat Gallia , quæ Te mirabunda gustavit adolescentem : sciat Anglia , in qua summam , quam concitaveras adolescens omnigenæ virtutis expectationem , Legatus vicisti : sciat Germania , quæ Te Viennæ veluti in theatro quodam totius Imperii res maximas non modò alacriter capessentem , sed etiam feliciter obeuntem per quinquennium suspexit : sciant omnes , ad quos vel admiratio Tui , vel fama pervasit , sciant Te maxima præstitisse quidem Patriæ , sed etiam maxima ab illa recepisse : sciant denique huic Te Procuratoriæ dignitati decori quidem esse , sed illam etiam Tibi . Hujus enim præstantissimæ dignitatis non satis est , si ut cæterarum in Republ. electio solitæ relinquatur fidei , atque integritati , quam Veneti Proceres Patriæ , & communi gloriæ , ac felicitati debere se norunt . Sed universum Magnum Consilium , ubi ad illius suffragationem deveniendum est ,

com-

544

communi Sacramento per gravissimum Magistratum
 concepto recipit , non aliam se , quām virtutis , ac
 meriti rationem esse habiturum , seque devovet di-
 ris , nisi pro illo censuerit , quem optimum omnium ,
 meritissimumque cognoverit . Igitur ex toto numero
 primū ii secernuntur , qui certis quibusdam meri-
 tis se supra ceteros erexerint : deinde ex illis ipsis
 unus deligitur , qui inter eosdem veluti Luna inter
 minores ignes præfulgeat . Quid hoc judicio potest
 esse honorificentius , in quo nescias utrum speciosius
 sit , quod à tot , ac talibus datur , an quod ab uno
 ex tot , ac talibus delecto tanta cum religione datum
 accipitur ? Datur enim ab eo virorum cætu , qui
 cum multitudine integri populi cætus videatur , sa-
 pientia tamen , ceterisque omnibus tum fortunæ ,
 tum virtutis ornamenti concilium est Procerum ,
 quos voces optimos Optimatum . Accipitur vero non
 nihil certa , quām speciosa declaratio Venetæ Sapien-
 tiæ in unum collectæ , esse illum , qui accipit , lu-
 men , ac florem Venetarum virtutum . Adde , quod
 neque otiosa dignitas est , quæ tam præclarè conser-
 tur , instar nonnullarum Deitatum ; quæ duntaxat
 nectaris , & ambrosiæ participes , ceterum sine im-
 perio , ac nomine , nihil , nisi numerum , & varie-
 tatem Deorum augebant ; sed illi gravissima quæque
 Imperii munera demandantur . Namque à principio
 quidem , cum unus tota Urbe Procurator esset , so-
 la fuit illi cura Basilicæ D. Marci , ut in ea dignè ,
 cautèque Sanctissimi Evangelistæ Corpus velut alterum
 Urbis Palladium asservaretur . Sed ubi crescens rerum
 moles primū ternos Procuratores , deinde senos ,
 postremò etiam novenos creandos esse monuit : huic
 ter-

eternæ veluti Angelicæ Hierarchiæ omnia placuit pia
 munera injungere . Itaque D. Marci Procuratorum
 est Sacras ædes erigere , Divinum cultum , & religio-
 nem accendere, pupillorum curam suscipere, viduarum
 causas tueri , honestorum civium paupertati occurre-
 re , Patriæ denique , atque universæ Reipub. saluti
 quæ privatim , quæ publicè undequaque prospicere ;
 prorsus ut in hujus unius dignitatis cura , & vigi-
 lantia totius Imperii securitas , & æternitas etiam
 officiorum sanctitate innitatur . Ergo illi meritò ma-
 jor Toga , & Purpura quotidiana , ac propria , con-
 ceditur , hoc est nova quædam Trabea, speciosior sci-
 licet, augustiorque, quam Consularis olim credita de-
 cuisse majestatem Romanam : meritò Senatoria au-
 thoritate sine annuæ suffragationis alæa perpetuæ im-
 pertitæ aditus in mentis , & consilii publici tem-
 plum nunquam intercluditur; & quævis nullo appa-
 ritorum, lictorumque satellitio stipatæ, tantum tamen
 observantæ , ac venerationis defertur, quantum par-
 est maximæ post unicam , quæ sacro redimita Cor-
 nu in solio adoratur . Nam quod audis Procuratoris
 modestum , ac civile , ut in Repub. nomen , post-
 quam etiam Pontificis fabrilem quondam , & mecha-
 nicam vocem inter Imperatorios titulos legis , non
 ideo minùs venerabilem , & dignam principe viro
 illius dignitatem putas . Ego profectò Venetis D.
 Marci Procuratoribus non Ephoros Lacedæmonis ,
 non Prytanes , aut Archontes Athenarum , non Suf-
 fetes Carthaginiensium ulla de causa æquaverim . Ex
 hodiernis vero potestatibus , si supremas , & regias
 excipias , nullam ubivis gentium reperio , quæ modò
 iudicio , & meritis tribuatur , quam Procuratoriæ

B

huic

huic dignitati vel amplitudine, & honoris insignibus
 antehabeam, vel auctoritate, & rerum agendarum
 magnitudine conferam. Jam vero in hac tanta di-
 gnitate Grimanus Laurentio Superantio suffectus est;
 cui viro, Deus immortalis! Quam praeclarè de uni-
 versa Repub. merito! Quanti ipse quoque nominis
 apud exteras gentes, quas magnificis, atque æterna
 memoria dignis legationibus adierat! Cujus adhuc
 famæ, atque existimationis apud ipsos superbissimos
 Othomanos, à quibus ob receptam recentem Peloponne-
 sum Venetæ virtuti ut cum maximè excandescen-
 bus non modò non injuriosè (barbaris inusitatum)
 sed etiam honorificè acceptus est, cum primus post
 bellum Legatus ad illos accederet! Ut vel ex hoc
 ipso facile cognoscatur, quanta sit Procuratoria di-
 gnitas, quæ summis etiam Superantii meritis pat-
 credita fuit. At quomodo suffectus? Electione scilicet
 rara prorsus, & nova; ut in qua solus est no-
 minatus, mille amplius Patrum, qui tum suffragia
 ferebant, votis omnibus designatus, eaque designa-
 tus æstate, in qua cæteri vix agere incipiunt, ut de-
 signari mereantur. Quid enim tam rarum, quam ut
 in Repub optimis viris, & præclarissimis civibus af-
 fluente, cum non annua, sed perpetua dignitas de-
 stinaretur, tam ampla vero, ut vel Xenocratis ani-
 mum ad ambieadum movere possit, unus nomine-
 tur Grimanus; cum tamen sex, & triginta nomi-
 nent, &, nisi quodd jurisjurandi religione se obstrin-
 gunt, ut nonnisi dignissimum nominent, nominatio-
 nem faciant ea libertate, quæ ne ambitu quidem
 coarctetur? Paucos admodum invenias mihi, quam-
 vis inter Stoicos quæras, qui vel ita modice sibi
 pla-

placeant, ut se non satis dignos honore, & magistratu putent: vel ita frigidè se ament, ut à petendo alterius prælatione abstineant. Pauciores adhuc seperias, quos contra multi sic admirantur, & probent, ut deinde singuli prædicare jurati velint, eorum aliquem supra quemlibet eminere. Te verò, Grimane, Magistratum maximum Venetiis petente, nemo ex tam multis, qui petere possent, tantus sibi visus est, ut unà Tecum petere auderet? Nemo tam multorum, qui nominarunt, non sibi religionem fecit, si quempiam alium dignorem, aut saltem æquè dignum declararet? Quia in Repub. factum id esse legimus, ubi non in utilitatem, ac penè miraculo cuidam simile visum fuerit? Non in ea profecto, in qua competitores, & amulos non modò dubiaz virtutis Themistocles, & Pericles, sed etiam omnino justi Aristides, omnino boni Phocienes offendebant. At ne in illa quidem, quæ siquando candidatos Catones vident, etiam Vatinios unà petere (petere autem?) immo & præferri facinus ipsa mirata suum, & perosa conspexit. Namque in hac singulari Repub. quis nescit morem illum ab institutionis fortasse Comitis pereani consuetudine servatum, ut quisque magistratum petat, alter protinus obiciatur, qui saltem explorandæ causa suffragantium in se voluntatis apertam illius petitionem sublatente petitione sua non tam impedit, quam honestet? Ergo Tibi, Prestantissime Procur., nullus obstrepit competitor vel alieno judicio, vel suo; quod cum omnibus in comitiis raro sit, in Venetis verò est rarissimum, nisi forte hoc rarius esset, quod solus à sex, & triginta nominatus cunctis potest.

mille suffragantium votis renunciatus fueris. Hoc si quisquam est, qui parum difficile putet, cum necesse est ignorare, quantæ sit difficultatis mille homines in unam sententiam adigere. At quos homines? Incautos, puto, & leves, clientelæ addictos, & in quamcumque partem libuerit sequaces. Annon circumspectissimos omnium gentium, gravissimos, & constantissimos, jurisque sui, & amplitudinis, ut qui maximè, compotes? Parum est, si dixerim (sensus est Euripidis) (a) rarum reperiri hominem, qui multis placeat hominibus; vix enim reperitur, qui tam communis sit, quisquam è Diis, quorum alios aliis cordi esse, ac venerationi videmus. An cum tres, non amplius convivæ (quæ alterius est observatio egregii Poetæ) (b) in mensa fere dissentiant, neque in laudandis, aut aspernandis iisdem epulis nisi perquam raro concordent: in Venetis Comitiis unus Vir, licet præstantissimus, frequenter Nobilium populo probari universum poterit? quodque non Ciceronianæ, non Tuæ ipsius, Grimane, eloquentiæ vis effecisset, unica propositio, optima illa quidem, sed tamen unica Tui propositio universos mille Patres in unum consensum sine miraculo traxisse credenda erit? Nam quodd unus, Proc. Ampliss., cunctis nominantium vocibus propo- ni auditus fueris, hoc suffragationem tuam onerare

po.

Α'λλοισιν ἀλλος Θεῖς τοι αὐθρῶπων μέλει. id est.

Hic bis, bic illis & bono cordi est, & Deus.

(a) Eurip. in Hippol. Coron.

(b) Horat. Epist. 2. lib. 2.

potius debuerat, quam ita mirificè fortunare. Hæc
 olim Athenis injustissimi illius Ostracismi, qui tum in
 ea preclarissima alioquin Repub. moris erat, justissima
 causa fuisse. Quid enim? Majoribusne de causis The-
 mistockes, & Cimones, aliaque hujusmodi firmamen-
 ta illius Reipub., & ornamenta Græciæ in suspi-
 cionem, aut invidiam cecidisse credimus, & ingra-
 tè Patriæ turpes non suę culpę, sed glorię poenas
 luisse? Itaque civitas illa reprobasset, quem tan-
 ta esse apud se in gratia videret, tristibusque
 testulis à lugentibus ipsis mœnibus repulisset, quem ni-
 mis placere sibi misera cognovisset. At in hac Civita-
 te minus porro, quam illud ipsum Græciæ caput,
 barbara non ita sinistrè, malignèque agitur cum vir-
 tute: neque hæc humanissima juxta, atque sapientissi-
 ma Respublica adeo est, vel stultè inimica sibi, vel
 iniquè ingrata civibus suis. Mirum tamen est, quod
 tales nominationem talis electio subsecuta fuerit.
 Mirum, quod civem ita, ut viderant, acceptum,
 ideoque in Reipub. temporibus egregiè versatum ope-
 rosa quidem, sed tamen quiete, ac vacatione ab
 muneribus, quibus merebatur, adeo cita, ac pœna
 præcoci tam multi donarint, neque sibi vegetum
 hoc, & ferendis oneribus parem ad alia Reipub.
 tempora reservare voluerint. Mirum, quod tum plu-
 rime non ita dixerint sibi: Hem quid agimus? Pe-
 trum Grimanum, aut si non ipsum, ejus operam
 nobis ipsi eripimus? Quid hæc omnium unius no-
 minatio, nisi quod nobis prædicat in legationibus si-
 gularem? Nunc si eum Procuratoria Trabea domi-
 tenere, & quasi ligare decernimus: quem potiorem
 illo, siquid opus fuerit, ad exteras nationes lega-
 mus

mus? Evidem̄ is talis jam, ac tantus est, ut hunc
meretur, & altiorem etiam, si quis esset in Repub-
dignitatis gradum. Sed satis adhuc superest longi
temporis, & nobis, ut grati esse possumus, & ipsi,
ut hec animi nostri argumenta ferat. Ecce, quod il-
li, nobisque felix, faustumque sit, integra adhuc
etate floret, non minus juventae, quam meritorum
decore conspicuus. Non auferatur ipsi debitus ho-
nor, sed quoniam citra periculum pietatis nostrae po-
test, & ex usu comodi publici debet, differatur.
Interim meritorum, virtutisque illius primum;
quod ipse, ut est generosus, non aspernabitur, sic
ipsa virtus, cuius nos occasiones exercendae, dum
per florentem etatem licet, ideo non ingrati suppe-
ditabimus. Non unum suspicimus in tanto Patrum
numero natu grandarem, cui Procuratoriae Pūrpure
decus, si non equo iure, tamen utcumque debeatur.
Quisquisne fater nos existat, in quo dilatio pietati
nostre videri periculosior possit? Huic hodierna-
die, ipso etiam non abnuente Grimano, gratifice-
mur. Hec, que inusitatus favor ille suggerebat, di-
ctane fuerint iis in Comitiis, aut ne cogitata qui-
dem, exitus patefecit, quo docti sumus omnia me-
ritis posthabita esse, etatisque tuę non ex annis, sed
ex factis ductam esse rationem. Itaque illud etiam
effectum est planè inusitatum, & post hominum
memoriam in vetustissima Repub. novum, ut inte-
gra etiamnum numerosa Familia, viventibusque, ac
laetantibus optimis parentibus Procurator essemus. Quo
quidem quid pulchrius? quid etiam temerius dici, aut
cogitari potest? Quid Tibi, & illis jucundius? Quid
illis jucundius, qui Te, cum optimum, quo tempo-
re

re apud se habere licuit, voce, exemplis, atque omni
 conatu facere semper studuerint, post multas, diu-
 turnaque allegationes vident, & amplectuntur judi-
 cio totius Patrie etiam meliorem? Quid jucundius
 Tibi, qui cernis, & sentis illos tua Tibi vita cariores
 tanta letitia, tantaque jucunditate tua unius causa
 perfusos? Capiunt illi fructum maximum sedulitatis
 illius, qua neque sumptui, neque labori pepercerunt
 unquam, ut Te utilem Patrie redderent, & illius
 etiam quandoque honoribus dignum. Capis Tu quo-
 que maximum fructum caritatis tuę, qua nihil un-
 quam antiquius habuisti, quam ut piam illorum di-
 ligentiam, non equares modò, sed etiam superares.
 Quoties illi osculabuntur hanc Purpuram, qua vide-
 rint abs Te, quod ipsi glorię patrimonium à majori-
 bus acceptum vehementer amplificarunt, tam mirifi-
 cè auctum esse! Quoties Tu illis, ac præsertim Patri
 Purpuram hanc ipsam subjicies, fassus, quod sc̄pē
 jam eo non audiente, illius eam esse magis, quam
 tuam, cum ipse Tibi, si non meritum, certè condi-
 tiōnes dederit, quibus merereris! Sed longius, quam
 volebam, egressi sumus, dum pulcherrimam profe-
 quor hanc pietatem, quam Pater exquisitis officiis tota
 Repub., Tu vero gratis sermonibus tota sermę Eu-
 ropa sic notam fecisti, ut Pii cognomentum uterque
 vobis proprium penè ubique adsciveritis. Itaque ut
 ad inceptum redeam, hæc electio tua, Proc. Ampliss.
 hisce omnibus de causis, tam rara fuit, ut modò mi-
 randa nobis, posteris vix credibilis futura videretur:
 nisi ex altera parte adeo justam esse constaret, omni-
 busque expetitam, ut & querele deinceps nostrę, &
 posteriorum etiam insectationes nimium metuende fuis-
 sent

sent, si aliter, quam per publicam sapientiam statutum est, per fortunę temeritatem accidisset. Non enim tanta dignitas soli Grimanae domus nobilitati tanta consensione donata est : aut hanc Purpuram cognationum, & affinitatum ambitus, atque opes ab invitis, ac nolentibus Patribus extorsere. Scio Grimorum Gentem (quis enim est penè ubique terrarum , qui non sciat?) inter Venetas Familias ne ipsa quidem vetustatis dote ulli præstantissimarum secundam ipsi esse huic Imperii principi Civitati coęvam. Coęvam autem? Illud etiam scio, nobilem jam ab initio rerum hoc advenisse , & aureis veluti cunis futurę Patriæ substratis, enascentis tum novę Serenitatis radiis per datos identidem strenuos Tribunos quasi quosdam regios altores etiam suos interjecisse . Exinde verò ad hanc usque Veneti nominis amplitudinem quam multorum legimus inclaruisse crescentem in dies cum ipsa crescente omnium virtutum genere præstantium continua serie virorum! Prope ut Majores Venetos ex Grimorum Majoribus recensere liceat, & promiscuè unius Gentis Historiam pro totius Patriæ annalibus usurpare. Quoties enim necesse fuit bella gerere, quibus Grimana Gens Imperatores non dederit? Quoties Legationes ad exterios Principes decernere , cum Oratores ex Gente Grimana accessendi non fuerint ? Hęc Urbem domi, hęc foris, hęc Imperium togata, hęc paludata protexit. Captumne unquam aliquod est repentinum , & Reipub. ęternitati salutare plusquam humanę sapientię consilium ? Mirum , si non aliquis Grimanus Senator auctor illius erat in Curia , idemque suasor . Memorandumne quodpiam auditum est in perplexa , involutaque causa judicium Salomonice Sapientię tri
buen-

buendum ? Mirum , si non aliquis tum Grimanus
 iudex pro Tribunali disceptabat . Quare omnibus in
 unam Domum gratæ Reipub. insignibus quasi debi-
 tis omni ætate congestis , quid non in immenso Gri-
 manorum stemmate titulorum , honorumque percen-
 seas ? Nempe duas præ cæteris maximè venerandas
 imagines Antonii , & Marini , qui quarti , & quinti-
 decimi seculi Ducales fastos insigniavat : Præturas ,
 Præfecturasque , Stolas Equestres , & Paludamenta
 tam multa , ut Argus etiam si fueris , oculis com-
 plecti non valeas : Tiaras etiam , & sacros Lituos ,
 necnon duabus hactenus supra viginti Venetis Pur-
 puris non paucas admixtas etiam Romanas . Quod
 minus mirandum sit , præclarissimas quasque Urbis
 familias hujus nobilissimæ Gentis propinquitatem
 dandis , vel accipiendis conjugibus nulla non ætate
 appetivisse : seque omnes , licet proavorum , & sua
 gloria onustissimos , plurimum tamen auctos dignita-
 te arbitrates esse , quibus cum Grimanis affinitates
 jungere contigisset ; ex quo denique effectum est , ut
 coeuntibus in unum undequaque rivis , ac fontibus ,
 Grimanæ nobilitas quædam facta sit veluti abyssus
 Venetæ nobilitatis . Hæc omnia cum probè sciam ,
 illud tamen repeto , & clarioribus , quam antea ver-
 bis conteado , non istas hujus , quam tantopere ad-
 miramur , electionis causas fuisse . Aliae omnino , aliae
 causæ fuere ; propter quas , si non etiam plebejum
 eligi oportuisset , certè illum , qui neque tanta gene-
 ris commendatione , neque tantarum affinitatum præ-
 sidio confideret , sed solis se virtutibus tutaretur .
 Electus es , Petre Grimanæ , Procurator , non quia
 Grimanis Majoribus ortus es , nec quia plurime-

G rum

rum affinium opibus juvareris ; sed quia Grimanis
ortus Majoribus , & tantis affinium opibus adjutus ,
ita tamen Te Patriæ commodis devoveras , ita labora-
veras in salute Reipub. , ut si hæc tanta præsidia in
Te nulla forent , spesque Tibi omnes in Temet uno
positæ essent . An Tu , si solùm ex tuo nobilitatis
globo prodiisses , & omni cognatorum tuorum stipa-
tus numero descendisses in campum , non aliquem
Tibi candidatum stare contra videres , neque ullum
Procuratoriæ Purpure competitorem offenderes ? Id-
circo autem invenisti nullum , quia tot prodibas mu-
nitus meritis , ac tam præclaris , ut petere Tecum
ita nemo auderet , ut Tecum committi nemo præsu-
meret . Jam verò eò devenit tandem , quod ab initio
properabat trepidans tamen , ac reformidans oratio
mea . Quid enim dulcius , sed quid simul etiam est
operosius , quam de Petri Grimanī meritis , ac virtuti-
bus dicere oratione , cuius cum difficile sit exitum , ne
principium quidem facile est invenire ? Unde enim
exordiar ? Commemorabo nimirum exactam à Te in
sapientiaz studiis non modò pueritiam , sed etiam illam
ætatem , quam plerique ferè adolescentes veteris , in-
clyteque prosapia , ac Tuę majorum gloria , & avitis
opibus contenti præter naturam vivere videntur , si non
totam in desidia , ac voluptatibus perdant ? Quis enim
dubitat , quin Te sic abdideris totum in literas eo ipso
animo , quo jubebat Parens egregius , ut Te videlicet
scholasticis , umbratilibusque exercitationibus ad capes-
sendam strenuè Rempub. præparares ? Antuas referam
peregrinationes multas , & longas , non curiositatis ,
oblectationisve causa susceptas , sed (que illarum fru-
ctus fuit) ut Te , quam extuleras jam supra
eta.

statem, prudentia auctiorem Patris redderes, ei
 demque, si placeret isterum ablegare, in iisdem re-
 gionibus, & apud eosdem Principes, quibus Te miran-
 dum prebueras, tam libens, quam idoneus inservires?
 An initos Tibi, statim ac resmeasti, Curiaz labores,
 ceptasque vigilias praedicabo, in ea videlicet eloquen-
 tia, ac prudentia palestra, in illa irrequeta sa-
 pientia, publicorumque consiliorum officina, in qua
 dies, noctesque interceditur casibus, occursatur for-
 tunaz, & adversus zemulorum machinationes, vel
 fatorum invidiam Reipub. incolumentati, atque aeterni-
 tati prospicitur? Hac Tibi tot maria, terrasque
 emenso, quae Te perpetuo motu, jugique agitatione
 veluti sidera, quae stare deficiant, exercerent, gratissima
 per quadriennium quies fuit. An res tuis in
 Legationibus per Te gestas enumerare conabor? qui-
 bus virtutibus Angliam florentissimum etatis nostrae
 Regnum iam Tui admiratione præoccupatum non
 modò Tibi, sed toti etiam Patris miro amore de-
 vinxeris: qua vigilantia Londini veluti in specula
 totius Europæ omnium Principum mentes, & con-
 filia penitus introspexeris: quo folertia vel ingenio,
 vel miraculo Britanos tota divisos Orbe expandis ita
 gentibus admoveas, ut Te quoque per illos omnibus
 quamvis dissimiliari praesentem, & acceptum feces-
 sis; vade etiam in Trajectensi celeberrimo illo omni-
 um pene nationum conventu, qui per eos annos
 celebratus est, Venetum nomen, Veneta auctoritas
 per Te, perque tuas curas, & sollicitudines plurimè
 invaluerit? Londonone Viennam transibo? quæ
 que in illa Christiani Imperii Metropoli apud maxi-
 mum, & potentissimum post hominum memoriam

Imperatorem prōducta ad quinquennium legatione ;
 in qua nulla pene dies sine Apellea linea , hoc est
 egregio quopiam , & tuo merito fluxit , pro Patria
 capessiveris , & confeceris , colligam nunc singula ,
 & dicendo commemorem ? Sed complecti hæc om-
 nia volenti quantum temporis necessarium est ! An
 illi omnes anni sufficient , quibus gesseris cuncta ipse
 promptior , alacriorque ad agendum , quam nos ad
 commemorandum ? Faciam igitur invitus quidem ,
 sed exigua , quam secus defecturam sentio , vi dicen-
 di coactus , quod vel auditoribus , vel lectoribus
 quandoque meis ipsis etiam alioquin defecturis pro-
 bandum spero . Ex tot , tantarumque rerum folo ,
 quem vix indicavi , apparatu unam eligam potissi-
 mam , ut reor , omnium , quam tua favente digna-
 tione non exornem , sed enarrem ; de ceteris omni-
 bus , quoniam ita necesse est , veniam silentii petam .
 Quæ igitur illa est ? Non inexpectata , non haëte-
 nus inaudita , non nova , sed omnibus nota , per-
 vulgata , cunctorumque hominum sermonibus cele-
 bratissima , qua Petrus Grimanus non modò de Pa-
 triæ salute , & gloria , sed etiam de postremis (si
 superis placet) inusitatis Caroli VI. invictissimi Im-
 peratoris victoriis , ac triumphis , de incolumentate
 totius Christianæ Reipub. deque universi Orbis , mo-
 dò ne Othomanico jugo subjecti felicitate omnium
 gentium laudibus bene , atque optimè meritus pra-
 dicatur . Turcas Christianorum Principum , sed in
 primis Cæsaris , ac Reipub. , hostes perpetuos pun-
 gebat , supra quam credi posset , extremi , quod
 cum illis compositum erat , beli non tam ignomi-
 nia , quam dampnum ; siquidem omnium gentium ,
 quas

quas in illud usque tempus adierant ; vitiis potius nostris , quam sua virtute victores , eo in bello , quo mutua inter Principes caritate , ac beneficentia Superos demerebamur , plura nobis restituere coacti erant , quam quae per summam injuriam idem intulerant arma , ut eriperent . Ergo ut adhuc Scythæ sunt , hoc est media jam olim in Europa nihil civiliores , neque fidem , neque perfidiam pensi quidquam habentes , in id unum inhiabant , ut saltem amissas in Hungaria , Graeciaque regiones honestè , vel dishonestè reciperent . Itaque ut primum visum est opportunum , eruperat ex Hellesponti faucibus Turcica classis multorum annorum secreta sollicitudine ædificata , multitudine navium , sed magis magnitudine , ac robore formidanda , rabie , furore , cæaque cupidine , plusquam velis impulsa , majoribusque odiis , quam ignibus fulminatura ; neque multò secius tempore ruptis prius fidei , quam Isthmi munimentis maxima vis barbarorum iisdem acta furiiis in Peloponnesum irruperat . Quanto tum in discrimine nostræ , atque universæ Christianæ Reipub. res essent , cum toto Ægæo , Jonioque citiis , quam ut percurri posse videretur , non petulante modò , sed etiam subacte , Cœcyta , quæ reliqua erat unicum Italæ ; atque enim ex ea parte totius Imperii Christiani propugnaculum , tota impeti belli mole prospiciebatur , recogiter secum ipse , qui possit , aut velit ; mihi animus meminisse horret , luætique refugit . Nam quid etiam illam renovem totius Adriatici consternationem ? quid illam utriusque dexteræ , ac sinistræ oræ formidinem , cæptamque jam pene accolarum fugam commemorem , ubi jam superbissimi ho-

hostis ferociam ; & vires ita contudimus ; ac fregimus , ut illi posthac magis à nostra virtute , quam nobis ab illius immanitate , ac saevitia sit metuendum ? Jam Cæsar , deletis duobus illius maximis exercitibus , captis totidem inexpugnabilibus oppidis , amplificatoque ut cum maxime Occidentali Imperio , barbaris in ipsa Orientalis Imperii sede terrorem retulit suum ; verè Potentissimus , verè Maximus , qui non modo invictam Othomanicæ domus fortunam vicerit , sed etiam gloriam omnium retro , ut minimum loquar , Dacorum Cæsarum majoribus etiam , quam Domitianus affinxerat sibi in ipsa Dacia victoriis superaverit . Jam Veneta etiam Respub. Corcyrense Arce , atque Insula strenue , mirificeque servata , disjectis passim toto Jonio , Ægæoque hostium classibus , ac pene profligatis , pluribus in Dalmatia , & Epiro urbibus , atque insulis ditioni suæ adiectis , effecit , ut immunitate portu[m] totius Italie , ac Dalmatiæ (& quis sciāt , an hactenus ?) cervicibus , jugulisque fabmotum illati ultrè belli non semel peneret . Jam denique totus Christianus , & non Christianus Orbis lætatus est Thracium videns furem suo superfuso sanguine deservescere , & insolentissimum illum Europæ , Asiac , Africæque Tyrannum pacem , deposito tandem fastu , supplicem petere , pauloque ante spolianem jam , atque exultantem leges accipere ab adiectis . Quod minus velim amota jam pericula , præteritumque nostrum pavorem repetere , huinsque tantæ gratulationis lætitiam horrenda quavis recordatione temerare . Illud tamen præterire non possum , quantopere enitendum , ac prope laborandum fuerit . ut Cæsar , cuius in virtute , ac poten-

tentia unicum arctis à principio in rebus perfugium
 esse putabatur, ad amplectendam tam præclaram rei be-
 ne gerendę occasionem adduci se sineret. Hic enim labor,
 tantumque ex eo meritum, quanta inde Cæsari, Reipub.,
 omnibusque bonis felicitas orta est, totum est, Petre
 Grimanè, quantumcumque est, totum est, inquam,
 tuum. Nam cum Thracius furor in Oriente deservi-
 ret, omnibusque interim totius Adriæ litoribus tremen-
 tur: Tu Viennæ ea voce, qua toties in conspectu
 Regum locutus es. (a) nunquam confusus, instare
 Cæsari, eundem precari, obtestarique: Ut paterni
 cum Repub. fœderis meminisset: de perfidiosis juratæ
 sibi quoque pacis ruptoribus penas sumeret: aggredie-
 retrat à parte sua, qui ex altera socios insolentes contra
 omne fas aggressi essent: barbaros, qui se illinc simula-
 tæ ad tempus amicitiæ titulo securos crederent, de-
 bacchari nunc totis viribus in Oriente: ne sineret eos
 Orientis, & utinam non etiam Italæ spoliis contra se
 crescere: disturbaret tot illorum sibi minitantes victo-
 rias, & rapinas: suas etiam, & præteritas, & præ-
 sentes, & imminentes injurias ultum iret: sumeret
 arma utique invicta pro tam justa, & pia causa fu-
 tura. Verùm Tibi nihil succedere, quodque fuisse
 quondam Cassandræ fatum dicitur, renovatum vide-
 ri; nisi quod illi non credebatur, cum tristia, Tibi
 cum fausta, & læta portenderes. Quid enim faceret
 Cesar? aut cur excelsa illius prudentia tanta in re
 non ambigeret? Versabantur adhuc in oculis perspi-
 cuæ

(a) Loquebar in conspectu Regum, & nos confundebam.
 Inscriptio vehiculi majoris, quo Grimanus
 Legatus utebatur.

cuia superioris belli vestigia , in quo ut victum , ac
 triumphatum esset , nondum tamen tot victiarum ,
 pretia erant omnia exsoluta . Alta durabant adhuc
 impressa Viennæ , totique Imperio vulnera , certè ci-
 catrices nondum erant omnes obductæ . Turbines etiam
 prospiciebantur jam tum ex aliis Europæ plagis , qui ,
 si in incautum , & imparatum , aut aliàs occupatum
 Cèsarem incidissent , possent facilius opprimere . Itaque
 non placere hoc bellum Cèsari , non utile , non neces-
 sarium , immo etiam periculosum videri : obtrectare
 illi omnes , qui Cèsaris consilium participant : vulgus
 etiam , in quod jam sparsæ res erant , aversari illud ,
 ac detestari : odia in Te , similitates , pericula etiam
 nasci , & crescere in dies illius auctorem . Bone Deus !
 Utquid nobis adversa tam multa nullo procurante con-
 tingunt ; tanti verò constat , siquid aliquando prosperi
 providentia parat ? Quis interim satis possit , optime
 Petre , laudare , vel mirari zelum & fidem , & con-
 stantiam tuam ? Neque enim Te sollicitudines , con-
 tentionesque istiusmodi pauculos dies , sed ad decem-
 amplius menses exagitarunt ; Te instante quotidie , Te
 repulso jugiter , Te non idcirco cessante unquam , aut
 remittente ; prorsus ut Te non Patriæ , sed Dei sa-
 pientia delegisse videretur ad hanc preclaram , tum
 verò necessariam patientiam natum , factumque . Ve-
 rum enim verò , quid non vincit , quid non obtinet
 tandem pia ; & invicta constantia ? Vicisti , Petre ,
 Tecumque vicit Cèsar , Tecum vicit Patria , Tecum
 Italia , Tecum vicit Orbis Christianus . Ego enim
 ipsas , quæ consecutæ sunt , potentissimi Cèsaris victo-
 rias non minus Tibi , Grimane , tribuo , quam glo-
 riosissimo illi , Sabaudiæne dicam , an omnium , non
 modò

modò qui nunc sunt , sed etiam antiquitatis ducum Principi Eugenio ? Ille in campis vicit , Tu in consiliis : Tu voce , ille imperio : Tu lingua , ille manus : Tu Viennæ , ille in Hungaria , Daciaque vicit , sed ille neque in Hungaria , neque in Dacia vicisset , nisi Tu Viennæ victor vincendi in Hungaria ; Daciaque copiam , & materiam illi tribuisse . Ergo Tibi non minùs , quām præstantissimo illico Legato suo Carolus VI. invictissimus Imperator suos debet postremos , omnium videlicet hactenus præclarissimos triumphos . Tibi Patria non minùs , quām tot suis strenuissimis Ducibus , & Imperatoribus debet suam incolumentatem , & gloriam . Tibi , tuisque eloquentiæ non minùs , quām Germanicæ , Venetique virtuti debet suam Christianus Orbis felicitatem . Quām bellè nunc caderet Ciceroniana illa Armorum , Togæque concertatio , qua civilem eloquentiam militari virtuti si non preferre , certè equare possemus ! si & pares essent cause , nefarium scilicet bellum civile , bello triumphi dignissimo : & Tecum Tullius componi posset , vobis cum Principe Eugenio L. Antonius . (a) Cineam suum Pyrrhus tante prudentia , iungendo , tanta que vis in dicens expertus fuerat , ut plerasque suas victorias illius operæ ascriberet , fasius non semel plures ab illo eloquentia , quām à se armis subactos esse . Itaque Thessalum illum Oratorem regia voce tam liberaliter ecommendatum gloria suo

D veluti

(a) Plutarch. in Pyrro.

veluti siiri exceptit, & pari cum ipso Rege nominis eternitate donavit. Quid Tibi hat, Venete Orator præstantissime, quem omnium victoriarum, que per hos tua causa felicissimos annos reportatæ sunt, non unius confessione Pyrrhi, sed eorum omnium, quos totidem vel Germanes, vel Venetos Pyrrhos dixerim in totius belli administratione tam egregie versatos, principium fuisse, ac fontem, equissimum est profiteri? Cui acceptas referre oportet non illas modò urbes, ac regiones, quæ Othomanico jugo subtractæ sunt, neque illas tantum, à quibus inhians tum Scythica rabies aversa est, sed etiam illas, quas contusus, ac fractus ille quondam prædator Orbis non audebit posthac lacestere? Sed ego maximum hoc, nullaque satis oratione laudandum meritum tuum, Procurator Amplissime, facio quidem plurimi, ut debedo. Illi tamen virtutes tuas, à quibus profectum est, ita præfero; ut Te etiam sine hoc ipso merito, sed cum omnibus tuis virtutibus nihil suspicerem minus: contra verò hoc extremo merito insignem, sed aliqua ex plurimis parentem virtutibus tuis Te minorem Petro Grimanu judicarem. Merita multa, & ingentia ii quoque quandoque ostentant, qui virtutes habent paucas, & exiles: cum è contra meritorum ingentium, multorumque semper sint saltē capaces, qui virtutibus prædicti sunt multis, & magnis. Quis negat alicujus fuisse Catilinæ saltē meriti speciem, quam tum prætenderet, cum Consulatum petebat, quo ad patriæ interencionem abuteretur? Cum contra summæ virtutis Cato, sed vani semper nominis homo in ea Repub. dictus, posset, si audi-

audiretur, æternam facere suis meritis libertatem Romanam. Laudabilia multa etiam mali faciunt boni, si locus detur, nonnisi laudabiliter operantur. Tu si Viennæ, Grimanc, non eras, aut sapientiam tuam temeritatem Othomanica, ut acriter prospiceres, non movebat, id modò singularis meriti non haberet. Ubi cumque tamen fueris, aut quidquid Tibi intercederit, pariles tamen fructus gignere potis es, quod multas, alasque radices jecesis, nempe virtutes. Quilibet Legatus debet sui Principis dotes similius omnes, certè quæ sunt illius magis propriæ, ac peculiares, ejusdemque quidam veluti characteres, exprimere, ac præseferre. Nihil enim secum ferat illius prudentia, cuius futurus est administer? non sensus, cuius est futurus interpreta? non eloquentiam, non fortitudinem, non constantiam, nihil denique omnium virtutum, ac veluti lineamentorum illius, cuius futurus est lingua, brachium, pectus, cor, & expressa quædam imago? Quo igitur, & qualibus nitat oportet virtutibus Legatus Venetus, cuius Princeps non is est, qui vel nascatur, vel utcumque eligatur; sed qualom leges, & instituta postulant, qualis, singentibus, formantibusque sibi civibus, omnium voto concipiatur, ut eorum culpa, offensaque sit, si non perfectissimus concipiatur? Adde, quod Venetus Legatus hujusmodi sui Principis non tam minister est, quam pars quædam; quod magis perspicue illum re præsentare teneatur, & quascumque terras adierit, virtutes circumferre omanes non tam Principis, quam ipsius quodammodo Principatus. Hic autem quam vellem adhuc esse à principio hujus tam progressus,

D 2 & for.

& fortasse iam ultra omnes tardii terminos excedentis orationis meae , neque illud penè absumpisse temporis , ac spiritus , quo mihi nunc opus esset , ut omnes enarrarem Petri Grimani virtutes inusitatorum meritorum verè secundas , & Veneto , qualem experti sumus , Legato apprimè dignas ! Quām multa dicerem de illius eximia sapientia ! siquidem felicissimum ingenium omni literarum genere ab inveniente ætate excolendo tantam rerum Divinarum , humanarumque scientiam assecutus est , dicendi verò , scribendique gravitate , & copia nunquam non exercendo sic adauxit in dies , ut & in Anglia , ubi pro domestica sapientia extera , si non summa , vilescit , ingens , miraque visa sit : & Viennæ Cæsari tanti fuerit , ut in ea difficillima consultatione illius tandem placitis magis , quām suis rationibus parentum sibi duxerit . Quām multa dicerem de singulare illius prudentia ! qua primū ex mira quadam ingenita sibi à natura spiritus alacritate studiis , ac disciplinis educta , deinde peregrinationum observationibus , documentisque veluti quibusdam alimentis nutrita , postremò rerum agendarum experientia , & attenta , quæ illi propria est , obeundi sedulitate corroborata , injunctas sibi à Patria Legationes ita suscepit , ut quidquid ingrueret , jam experto per omnia , quorum alia legerat , alia viderat , alia ipsem gesserat , nihil trepidandum , nihil fardinandum , nihil non incunctanter , laudabiliterque exequendum posset accidere . Quo tamen in loco piequeo me temperare , quod minus honoris causa memorem Aloysium Marchesinum virum egregium , & inter præclarissimos secundi Ordinis cives facile ex

pri-

primis ; in quo ego intimo Grimani à Secretis tuis
in Anglia , tum in Germania administro assiduo ma-
gnum reperio non tam illius naturæ , & virtutis ,
quam Grimani prudentiæ simul , & humanitatis ar-
gumentum . Nam cum Grimanus sit ex pau-
cissimis non prudentibus tantum , qui aliorum consi-
liis , monitisve obtemperent , sed prudentissimis , qui
cuncta per se cognoscere , & exequi possint (a) : quis
satis miretur , vel quanta prudentia simul , & hu-
manitate Grimanus per novem amplius annos Mar-
chesinum habuerit , vel quam prudenti , constanti-
que obsequio Grimano Marchesinus adhæserit , ne-
que Legatus Ministrum neglexerit unquam , tanquam
si illius indigus esset , neque Minister à Legato sibi
negligi visus fuerit , tanquam si esset illi necessarius ?
Quæ deinde dicenda mihi se offerrent de integerri-
ma illius religione , quam etiam primo spectare lo-
co debueram ipsius præpositæ sapientiæ principium ,
& fontem ! quandoquidem Viennæ , cum aliquoquin
hæc sit etiam natura sideribus , ut parva , & exilia
validiorum concursu , præsentiaque obscurentur , in-
ter pienissimos tamen Austriacæ Domus Dei , Di-
vinarumqæ rerum cultores pietas illius conspicienda
fulgebat ; augebatque & ipse venerationem in Superos
exemplo venerationis suæ . Quæ mihi non dicenda

mo.

(a) Οὐτος μὲν πατέρεινος , ὃς αὐτῷ πάντα νόσει ,
Φρεστάμων , τὰ κ' ἐπειτα , Καὶ τέλος γῆσιν ἀμένειν .
Εὔθλας δ' αὖ κακεῖνος , ὃς τὸν εἰπόντες πίθηται .
Hesiod. apud Aristot. Ethic. I. cap. 4.

566

modò, sed miranda etiam venirent de rara illius caritate in Patriam! cuius utilitatibus quiete, otio, commodis omnibus, & fortunis, immo & dulci ipsius aspectu diuturniore quodam exilio largè, effusèque donatis, postremò illud ipsum, quod honestis hominibus vita carius est, suam etiam gloriam donavit; cum Viennensis Legationis maxima omnium laude confecte, & perspicuis gratae ipsius Patriæ testimoniis, honoribusque summè probatæ, detrectandam tum tamen, deprecandamve provinciam diu retinuit, gloriamque jam in seculo positam apertum rursus in discrimen adduxit. Sed hac mea in egritudine, qua mīhi neque de his, neque de ceteris Petri Grimaldi virtutibus loqui vacat, nihil est, quod magis molestè feram, quam quod etiam pulcherrimam illius magnificientiam cogar tacitus preterire. Quid enim dicendum, vel non omnino dicendum esset de splendidissimis paratibus illis, & cunctis quibus videlicet personam, quam gerebat, & Principis vicem tuebatur! Quæ de ornatibus cedum, quæ de vehiculorum, equorumque pretiis, de totius supellectilis munditia, & elegantia, de operosiore familiarè cultu, de ludis, & largitionibus, de conviviorum sumptibus, & lauitia nova fortasse, & inaudita possem afferre! Ut splendore, & maiestate Principum opes provocaret, & planè regia generositate, ac munificentia eas quoque gentes traheret in admirationem, quæ tantum sua mirari consuerunt. Quanquam convivia non tam conquistatis epulis extruere solet, plenoque artis argento, & auro è compluribus abacis adornare, quam doctarum, animosque pascentium collocutionum suavitate alter Periander condire. Invitatis enim quibusque eruditissi.

ditissimis viris (quæ illius est jucundissima consuetudo) plus Divinarum Scripturarum ex illius mensis, quæm è sacris Exedris, plus Philosophiæ in illius cænaculis, quæm in ulla vel Stoïs, vel Peripatis perstrebit, ipso non auditore tantum, sed etiam interlocutore, à cujus ore cæteri pendeant. Verum in omnibus Petri Grimani virtutibus, inque illis præsertim, quæ suavissimos illius mores ad varia etiam diversarum gentium ingenia, & amicitias accommodant, nihil ego laudaverim magis, quæm quodd neque affectatæ sunt, & in speciem ad tempus veluti personæ quedam assumptæ, sed propriæ, & perpetuae, constantes, & opportunæ; prorsus ut illi ingenitæ, & innatæ videantur. Magnanimitas, quæ ita cæteris virtutibus antistat, ut magnanimus Leo cæteris animantibus antecellit, cum grave nescio quid, elatumque spiret, proptereaque plus honorabilis, quæm amabilis videatur, ipsorum solet veneratorum sic lumina, & amores avertere, ut observantiam, reverentiamque conciliare. Hanc animi sui celsitudinem Grimanus oculis, ore, incessu, toto denique prodit corpore, quod natura dignum, ut solet, magna illius mente domicilium metata est; neque tamen apud ullum offendit unquam ex omnibus, quos & hac ipsa, & cæteris virtutibus allicit, & invitat. Pudore, fide incorrupta, nudaque veritate pulcher, & gratus; quodque magis mirere, facilis idem, ac severus, urbanus, & serius, gravis, & affabilis, parcus idem, & sumptuosus, in quancumque partem, prout oportuerit, & res, deculque poposcerit, simpliciter tamen, vixque, ut appareat, a se ipso jussus solo nature ductu versatur; quasi has virtutes non debeat sibi usu, & exer-

exercitatiōne quæsitas , ad easque natus fuerit , non
 sita industria factus . Quanquam illius natalibus ,
 ac generi aliquid de hac laude tribuendum esse ne-
 gare vix ausim , qui videam præstantissimos illius
 Fratres (pace tua , immo maxima , scio , cum vo-
 luptate dicam Præstantissime Procur.) Fratres in-
 quam tuos iisdem ornatos virtutibus videam , & ni-
 si quod publicæ , quas ipse peregrè tractasti , res
 Te conjunxere cum pluribus populis longèque cele-
 briorem effecere , Tibi omnino similes , ac penè pa-
 res . Annon hæc eadem penè omnia repetere debe-
 tem , neque alias , nisi tuas ipsas dotes prædicare , si
 laudandum susciperem majorem natu' M. Antonium ;
 nisi quod similes Vobis liberos Domui , Patriæque
 genitos , mox etiam similes expectatos nepotes il-
 lius peculiari merito ascriberem ? Multanè mihi va-
 rianda essent , si fieret argumentum orationis Domi-
 nicus Urbis amor , & deliciæ Venetiæ nobilitatis ? Quid
 ille , qui diversum fecutus est vitæ genus , bellicè addi-
 ctus arti Georgius , quique nomen suum Turcis non uno
 experimento fecit tremendum ? Multone minùs milita-
 rium virtutum habet , quām Tu civilium ? Multone mi-
 nùs sapientiæ , prudentiæque , aut magnificentiæ in clas-
 sibus , quām Tu in consiliis exhibuit ? tantæ & ipse
 caritatis in Patriam , ut illius rationibus hanc ipsam
 modò posthabeat Te reducem videndi jucunditatem .
 Nam Laurentium legationum tuarum comitem assi-
 dum ipse vidisti secundum fuisse à Te omnium ,
 quas simul adiistis , gentium miraculum , scisque non
 plus exemplorum accepisse à Te , quām levaminis ,
 ac decoris Tibi attulisse . Quales etiam futuros cre-
 dimus M. Antonii Filios duo illa crescentia Gen-
 tis ,

tis, & Patriæ columina Petrum, & Franciscum
ambos miræ expectationis adolescentes? nisi quales
jam esse cœpisse miramur, & quibus unum opte-
mus, ut quam simillimi fiant nepotes, quos Vobis
Petrus ex Francisca, nobilissima scilicet, & utroque
Justiniano, Grimanoque nomine dignissima Conjuge
procreat, sicut & ipsos Vobis similes fieri gaude-
mus. Ita est enim profecto, fortis nascuntur ex for-
tibus, & boni ex bonis, (a) nam cum natura pro-
viderit, ut in juvencos, & equos procreantium vir-
tus propagetur: non est dubitandum, quin etiam
hominum procreationi idem commodi indulserit.
Tales igitur Vos genuit incomparabilis Parens, in
quem tota confluxerat generositas Atavorum: & ta-
les præsens ætas, tales etiam posteritas visura est na-
tos natorum, & nascituros ab illis. (b) Sed cum in-
sistam vim bona institutio promoveat, rectaque cul-
tura congenitas animo dotes roboret, atque perfici-
cat: ne id quidem desiderandum reliquit sedulus
Parens, & in liberorum educatione plusquam indu-
strius; cui etiam propterea non Curii, non Catones
querendi fuere, quos ad imitandum proponeret, sed
satis fuit, ut se in opere inspiciendum, atque obser-
vandum præberet. Itaque Vos feliciter natos, noc-
minus bene institutos, ab omni vitiorum contagione
non secus ac seipsum repressos, ac revocatos eò sen-
sim duxit, ut omnes easdem haberetis virtutes, quia

E singuli

(a) Horat. Carm. lib. 4. Od. 4.

(b) Idem ibid.

magni fuis habebis . Hic Tu porr̄ , Procur. (iam
 ampliss. , sed quod laudabilius vor , Piissime di-
 cem) aures attigere , ut oculos intendere , siquid ego
 forte repetere sciam ex tamen multis , quae siccè non in
 hac Urbe , sed peragre , ubi evagari etiam cariorum
 memoria solet , abs Te audivi de Parente tuo ; cum
 non in secretis cubiculis , intimisque secessibus , sed pa-
 lam in frequentibus , magnificisque principium viro-
 rum , Te ipso , quasi ad hoc unum ornante , atque
 apparante , conviviis Patrem laudibus efferebas tuum ,
 merita in Te illius maxima commemorabas , quod
 præsertim parcissimus sibi fuisset semper , ubi vero de
 Patriæ , ac de liberorum honorificentia , & gloria age-
 retur , etiam protus , Teque illi multò plas , quā
 Patri debere rara sanè , & profus exemplari pietate
 profitebare . Sed modus , qui in dicendo etiam pdl-
 chrè , laudabiliterque dicentibus servandus est , ad-
 monet , ut finem dicendi faciam ; cum præsertim te
 lætitia , plausibusque , quibus electio tua ubivis gen-
 tium accepta est , quod mihi extrellum proposueram ,
 nihil adhuc , aut nimis pauca , neque suo loco dixerim .
 Verū quid opus est , quam rem fideles oculi tradid-
 runt sibi , multis immorari verbis , ut eadem etiam
 auribus persuadeatur ? Nam quo die omni Te nomi-
 natione ceoptatum cunctis etiam suffragantium votis
 Procuratorem designatum esse innotuit : quibus assen-
 sionibus universi populi honorificentissimo de Te Pa-
 trum iudicio acclamatum est ! Quām communibus
 omnium Ordinum , quām certis , & perspicuis , insolit-
 is tamen , inusitatisque clamoribus , & exultationibus
 toto insequenti triduo declaratum est , quanta singulo-
 rum animos lætitia incessasset ! Ludos etiam addidit Pa-
 ter

ter eminens laudandarum rerum auctor perpetuus ;
 pompa, & magnificentia, ut assolet in publicis rebus,
 non mindet, quam occasio , mirandos , & rares ; in
 quibus tamen, ut ut exquisitæ syphonios , quando
 per populi vociferationes licebat, aures insulcerent, ut
 ut ardentia de noctu innumera cerea funalia sidera
 provocarent, ut ut omnigenis, quæque nihil appeten-
 dum reliquerent, largitionibus nullus esset modus :
 nihil tamen lætandum erat magis, quam tuus honor,
 ipsa videlicet causa lætitiae . Jam vero hoc ipso die,
 quo de illa quasi victoria veluti triumphas, quid est,
 quod desideretur ad speciem, pompamque justi trian-
 phi ? ubi ex infinito populo gratulantium globi undique
 quaque concursant: ubi ex omnibus, qui ad Tui es-
 spectum properant, nemo est, qui Purpuræ tuæ non
 ore, non gestu, non omnibus gaudii significationibus
 plaudat: ubi iustitores, atque opifices suas etiam mer-
 ces feeere quasi vocales, gratulantesque Tibi, & omnia
 prospera comprecantes . Patres vero, qui Te muniri
 honora causa comitantur, quomodo constent sibi ?
 Quomodo judicium de Te olim suum præseatis testa-
 tione lætitiae comprobant ! Quam lubentes, & exulta-
 bundi hoc Tibi præstant obseruantia, & amoris offi-
 cium ! Quales incedunt duplæ gratulatione contenti
 Tibi, quod ita honorifice electus fueris : sibi, quod
 tam justè elegerint ! Ecce quidem cives ; quid exte-
 ri, apud quos Tibi nuncius venit electionis tuæ ? Cui
 jus & ipsi gaudii significationes dodere, it præsertim,
 quorum non ita peregrinantur aures, aut hospites ro-
 to in Orbe mentes vesantur, ut totam Procuratoris
 istius dignitatis amplitudinem planè notam non ha-

E 2 bcant

deant! Non paucos enim ego ipse audivi adeo exiguae
 eruditos , ut vererentur , ne summis ab se cognitis
 Grimani meritis dignitas par non esset; quorum error
 mihi causa fuit , ut initio orationis eam cuilibet è
 summis , quæ ubi vis gentium meritis , ac judicio vel
 datæ sint , vel hodie dentur , sicutem æqualem esse pro
 virili ostenderem . Ceterum qui Venetam majestatem
 intelligunt , in eaque D. Marci Procuratores primas
 tenere non nesciunt , hi vero gaudere , lætari , gestire
 omnes quodd amplissimo honore donatus essem. Hinc om-
 nium ad Te principum nullius non nationis virorum ,
 Legatorum , Ablegatorumque , Nunciorum , Vice-
 que gerentium per complures dies properatio , &
 concursus ; ut Viennæ una in Urbe , sed Romani ,
 quod reliquum est , Imperii capite cunctarum fere
 gentium gratulationes qua voce , qua scriptis accipe-
 res . Certè Eugenius , quo amore est in Venetos om-
 nes pro vetere hospitio , in Te vero etiam pro vir-
 tutum similitudine , non mediocre gaudium professus
 est . Certè etiam Cæsar suo se Tibi oraculo aperiens
 gratum sibi esse declaravit , quod à se probatum
 Civem etiam à Repub. ita probari videret . Unus
 vereor , ne non doluerit vehementer Othomanus ,
 si fortè fatalis in se renovati fæderis vel auctoressa
 vel administrum tanto etiam præmio affectum es-
 se cognoverit . At ne Romæ quidem gratissima pos-
 tuit esse hæc Dignitas tua , per quam effectum
 est , ut non sperata modò , sed jam certa tua lé-
 gatione Civitas ea cupidissima fraudaretur . Cum-
 que Tu illud Religionis , & Sanctitatis Tem-
 plum jampridem visitatum repetere jam deski-
 nassis

natus , inque illo hoc quoque Tui sacrificiorum Patriæ , Deoque facere tum etiam cupores : hæc ipsius Patriæ munificentia gratissima quidem semper , sed tum pietati tuae visa paulò intempestivior nō mini fortasse magis displicuit , quam ipsi Tibi : Cui quidem jam non humanæ , sed cælesti pietati tuae quid tandem (quod mihi restare video , Eques , & Procur. Ampliss.) quid inquam augurer tandem , precerque à Superis , quod sit obsequii mei Tibi saltem desiderare ? At ne votis quidem meis ullum video locum relinqui , ubi jam omnia summa concessa esse cognosco meritis tuis. Honorem maximum adeptus es in maxima & florentissimaque Repub. , Tibique Patria carissima & Virtutis omnibus , quibus honorem , quem assecutus es , pro dignitate tuearis , habes à pueritia ita consuetas , ut Tibi jam vertent in naturam . Amicos etiam , in quibus magna pars auctoritatis , & felicitatis posita est , plurimos numeras , omnes videlicet Tui similes , viros in Patria , ac tota ferme Europa lectissimos . Nomen tuum à Gadibus usque ad Indos regnat in linguis omnium non modò laudibus , sed etiam gratiarum actionibus celebratum , neque ullis uspiam , nisi forte gloriösis Tibi Turcarum infectionibus exsecrandum . Quod unum igitur mihi superest , fruere diu tot , ac tantis bonis virtute tua Tibi partis ; fruere ista omnium præconio debita Tibi felicitate . Fruere in Patria , quæ in Te tam grata est , quam Tu pius in illam , fruere diu Parentibus optimis , amantissimis Fratribus , Nepotibus obsequentissimis . Illi contra diutissime Te florente , qualis nunc es , & supra humana-

nam

nam fortam beato fruatur. Patria vero Vobis omnibus mutua sic inter Vos , conamnicataque felicitate beatissima tandem fruatur , quandiu viderit & quando auctor non videbit ?) sua interesse felicitatis .

F I N I S.

09 943913